(4
Sch.

DE HOMINE DEI EXISTENTIAM PER SE COGNOSCENTE
THESES:

QUAS SUB AUSPICIIS
ILLUSTR. AC REVER. PRAESULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI

PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

ANTONIUS RIUATO

SEMINARII VICETINI ALUMNUS

PRAECEPTORE ET ADJUTORE

MARCO PERUZZI

METAPHYSICAE IN EODEM SEMINARIO LECTORE

DATA CUIQUE POST TERTIUM ARGUMENTANDI
COPIA MORE ACADEMICO.

VICETIAE
Typis Parisianis
MdcccvIII.

DE HOMINE
DEI EXISTENTIAM PER SE
COGNOSCENTE
THESES:

QUAS SUB AUSPICIIS
ILLUSTR. AC REVER. PRAESULIS

MARCI ZAGURI

EPISCOPI VICETINI
PUBLICE PROPUGNANDAS EXPONIT

ANTONIUS RIUATO
SEMINARII VICETINI ALUMNUS
PRAECEPTORE ET ADJUTORE
MARCO PERUZZI
METAPHYSICAE IN EODEM SEMINARIO LECTORE

DATA CUIQUE POST TERTIUM ARGUMENTANDI COPIA MORE ACADEMICO.

VICETIAE
Typis Parisianis
Mdcccviii.

Quid enim potest esse tam apertum, tamque perspicuum, cum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis, quo haec regantur?

Cic. de Nat. Deor. Lib. 2. c. 2.

DE HOMINE
DEI EXISTENTIAM PER SE
COGNOSCENTE

Th. I.

Quidquid sophismatis cujuscumque veritatis atque scientiae inimici potuerint Sceptici subtiliter invenire, et quacumque animi persuasione proferre in medium; luce ipsa est clarius, quod vel in ipsis aliquid est profecto rei (quam nos animam dicimus) quae modo quocumque delirae dubitationis principium sit. Sive enim aliquid statuamus certi, sive quidvis revocemus in dubium, nostras quidem perpetuo sentimus cogitationes, atque hinc jure optimo tritum illud confirmamus: *Cogito; ergo sum.*

Th. II.

Hanc igitur omnium primam confessi scientiam, et nostrarum cogitationum innumeram multitudinem nobiscum taciti considerantes, succurrentesque illas modo, modo abeuntes animo, atque in aliarum locum semper suffectas alias atque alias advertentes, qui quaeso possumus Cartesianorum non improbare sententiam, qua in vi cogitandi ipsius animi essentiam consistere defendebant?

Th. III.

Nec vero tantum cogitationum illa varietas, et inconstantia Cartesianam illam opinionem, sed praeterea sive Pithagorae, sive Platonis, sive quorumcumque aliorum philosophorum ideas innatas evertit.

Th. IV.

Quam quidem citius sententiam magis magisque amandabimus, si quanta puer

tarditate sibi rerum notitiam comparet meditati, si quanta surdus et mutus frustra laboret diligentia sonitus vel coloris quamcumque cognitionem desiderans animo reputantes, tandem aliquando coacti illud confitebimur quam verissimum: *Nihil est in intellectu, quod prius non fuerit in sensu.*

Th. V.

Ipsae enim virtutum omnium et vitiorum notiones, aliarumque rerum similium, generum et specierum ideae, ipsarumque animae facultatum, quae nulli veluti exemplo inhaerentes hac in rerum universitate sensus commovere non possunt, plurimisque magni nominis philosophis et *species intentionales, et substantiales formas,* et alia hujusmodi sine sensu nomina suppeditarunt, ab illa vi omnes eveniunt animae, qua sensationibus affecta solet saepius vel ad actiones suas penitus attentionem deflectere, vel a quibusdam per sensus adeptis ideis compositis simplices quasdam pro

lubitu abstrahere, atque ope vocabulorum simul conjungere, novumque suo sic veluti mundum intellectui studiosa creare.

Th. VI.

Quod si animae non inhaerent veluti innatae rerum perceptiones, et notiones, nec sensibus deficientibus aliquae sunt cognitiones; ab ipsis sensibus per causas externas quascumque, et sua propria existentia gaudentes succussis quocumque modo, et motis ideas esse omnes sive sint substantiarum, sive modorum apertissimum erit consectarium.

Th. VII.

Dura hic quidem se nobis offert difficultas, nostroque impervia intellectui, qua scilicet ratione hujusmodi causae possint per sensus notiones in anima, et ideas excitare. Sed cum profunda lateant obsitae nocte rerum omnium naturae atque essentiae verae, non est certe philosophi lucu-

lenta negare factā, eo quod ratio, qua facta sint, ignoretur. Exurgit igitur quam firmissima propositio: scilicet extra animam primas causas existere sensationum, perceptionum, notionum, idearum omnium suarum: quibus quidem causis jamdudum corporibus nomen indidimus, non earum naturam, sed quas percipimus tantum proprietates aliquas illo significantes.

Th. VIII.

Interea si nobis incognito modo perceptiones nostrae excitantur in anima, externis causis motum quemcumqne in sensibus excitantibus, poterunt utique ad hasce causas tamquam ad principium perceptiones referri, minime vero tamquam ad exemplum aliquod, quasi possemus inferre vel corporum proprietates quasdam essentiales; vel ipsam essentiam corporum veram, atque animae ipsius nostris ab ideis, et sensationibus repraesentari. Nimirum hoc unum scimus: corpora motum in sensibus

excitare, motum in anima perceptiones, quas ipsa sentiendi facultatem per reflexionem advertit. Quid enim corporis cum motu, quid motus cum idea, quid animae essentiae cum sensatione potest esse similitudinis?

Th. IX.

Quamvis autem nihil omnino sive de corporum, sive de animae meae possim natura aut essentia cognoscere, non hinc tamen Scepticorum ferenda conclusio: nos nihil omnino scire, nihil posse jure tamquam cognitum et compertum habere. Satis enim cognoscimus veras esse substantias, aliasque in alias vim quandam exercere, et quaedam cognita producere effecta; quae cum possimus perpendere, et invicem comparare, quaedam continuo quoque possumus jure consectaria deducere, quae veritatum certissimarum fons et origo veniunt faecundissima, et quamcumque extra posita aleam dubitationis.

Th. X.

Atque primum me penitus introspiciens; variisque semperque novis perceptionibus et sensationibus deprehendens animam obnoxiam meam, necessario ipsam existere atque a se negandum omnino est. Quidquid enim existit necessario et per se, ut illud sit oportet semper, quod est, nullis mutationibus, nullisque obnoxium vicissitudinibus.

Th. XI.

Quod ratiocinium praeteritarum aetatum repetens tempora vel memoria, vel caeterorum hominum observatione, postquam ad meum corpus, omniaque mea accomodavi; cum luce clarius me noscam causae alicujus effectum, quae causae fuit effectus alterius, quae fuit tertiae, quae quartae, et sic porro; velim nolim, concludam tandem necesse est, omnino diversam ab genere humano causam humani generis extitisse ante genus humanum.

Th. XII.

Id repetas licet de quibuscumque animantibus, atque rebus organicis, eamdemque consequentiam deducas necesse est.

Th. XIII.

Hanc ego causam perquirens diligentius, et maria et terras et astra percurrens animo, eorum et vires, et motus, et omnia considerans, pervolvens omnia, quae vel Leucippus, vel Democritus, aliive somniarunt, longa et inutili lassatum meditatione eam nusquam me tandem invenisse confitear oportet.

Th. XIV.

Confiteor etiam me rerum omnium ignorare naturam, vires abditas ignorare confiteor quasdam, quae fortasse existunt, vel possunt existere in ipsis; sed cum quod existit cognitum omnino illi repugnet causae, quae ad haec omnia efficienda esset

necessaria, eo magis magisque in hac rerum universitate expetitam causam deesse confiteor.

Th. XV.

Quidnam enim mihi cognitae, vel etiam, si lubet, fictae rei subjiciatur oculis, cujus ego praesentem statum cognoscens a priori determinatum, qui a tertio fuit, qui fuit a quarto, et sic porro, non possim jure concludere rei cujuscumque causam ab re quacumque esse diversam?

Th. XVI.

Nam quo tandem convertam oculos ut non mihi ubicumque vicissitudo, et sucessio continuo appareat? Quae cum infinita repugnet, externam ab ipsa ejus causam confirmem necesse est.

Th. XVII.

Sed vel poeta aliquis effingat mihi confusum et immobile Chaos. Quid hinc ta-

men? Cum necessarium non sit, ejus extensionem vacuo determinante, cum sit et fuerit mutationibus obnoxium plurimis, mirabilique ordine, atque legibus obstrictum; nonne Chaos hoc ipsum primae alicujus et necessariae ab ipso diversae causae effectum venit recognoscendum?

Th. XVIII.

Hisce vero omnibus consideratis concludendum tandem est et animantum, et vegetabilium, et motus, et denique totius mundi causam extra ipsum mundum positam esse: quam nos causam Deum nuncupamus.

Th. XIX.

Si vero mundus est causae alicujus effectus, cum tandem repugnet infinita causarum sucessio, ecquis non videt mundum quondam fuisse nihil, atque ex nihilo ab hac causa fuisse creatum?

Th. XX.

Cum omnia igitur a Deo sint condita, atque hujusmodi causae sint omnia totidem effectus, illico videre est, qua tu cumque facias ab re exordium ejus inquirens causam, ad Deum tandem devenias oportet, atque ab rerum existentium numero numeres argumenta hujusce Dei comprobantia existentiam.

Th. XXI.

Est nimirum ex hac veritate apertissima, quod universalis consensus debet argumentum repeti quoad existentiam Dei: firmissimum quidem argumentum, utpote quod ab illis dimanet cognitionibus rerum, omnibus hominibus quae sunt perviae.

Th. XXII.

Quae sane omnia superius allata argumenta non tibi solum demonstrabunt existentiam Dei, sed praeterea ejus omnia at-

tributa. Scilicet Independentiam, Immensitatem, Æternitatem, Omnipotentiam, Immutabilitatem, Intelligentiam, Libertatem, Providentiam, atque alia atque alia ex hisce primis facile redundantia. Quae quidem attributa non quasi totidem sunt essentiae in unum congestae, sed una tantum atque eadem essentia sub diversis relationibus ab hominibus considerata.

Th. XXIII.

Non igitur fas est ita singillatim divina attributa perpendere, ut, neglectis caeteris, non satis recte singulorum notiones determinemus.

Th. XXIV.

Nunc autem tanta vi argumentorum existentia Dei confirmata, germinum praeexistentia in rebus organicis a clarissimis philosophis demonstrata, ecquis potest vegetabilium fabricam attentis oculis observare, qui sanus eadem neget unius esse opus consilii?

Th. XXV.

Ecquis ordinem totius mundi consideret, et mirandam omnium rerum Harmoniam, atque eamdem veritatem non fateatur?

Th. XXVI.

Ecquis denique postquam causam repererit, qua possit omnia recte explicare phaenomena, ulla sine ratione deliram, et proscriptam jam Manetis hypothesim duorum principiorum audeat excitare?

Th. XXVII.

Quae absurda cum sit allatis de causis, eisdem de causis absurdissimus erit vel Graecorum, vel Romanorum, vel quarumcumque nationum aliarum Polyteismus.

Th. XXVIII.

Oportet igitur ut unus tantum existat Deus.

5

Sch.